

pertinere, quod Christus paralytico dixit: Fili confide, remissa sunt tibi peccata tua: Item leproso, Volo vt saneris, esto mundus.

*De constituendis conseruatoribus sanitatis.*

C A P. III.



**H**IS igitur prophylacticis, & tanquam spiritualibus armis muniti, videlicet bona cōscientia erga Deum, & firma fiducia de exhibita peccatorum nostrorum (quæ sunt omnium calamitatum primariæ causæ) remissione, promissâque gratia, imitari debet fidelis & prudens Magistratus vsitatam & laudabilem cōsuetudinem Rerum-pub. tēporibus bellicis. Quæ verò est illa? Cùm fama increbrescit, aliquem potentem Tyrannum, de quo suspicio est malevolentia, in armis esse, exercitum collegisse, hære in confinibus, nec in quos sit primùm impressionem factururus, satis constet, conscribere solent duces suos & capitaneos, qui obligati ipsis sunt, & cum his, quâdo de viribus commeatûq; ab vniuerso Senatu actum est, consultant, ecquibus rationibus impetenti forsan hosti obuiam ire, quo maturè à

finibus suis arceant, possint. Idem facimus, quando eo ipso tempore de munimentis publicis, de mœnibus, de aggeribus, bombardis, omnisque generis armaturis consilium capiendum est, ut compellatis œdilibus, architectis ac artificibus, quid adsit, quid desit, quanto ad ea, quæ adhuc desiderantur, tempore sumtûq; opus sit, disquiratur & cognoscatur, ut collatis viribus, ac deductis ab vniuersa summa impensis, quousque suffecturi simus bello, intelligamus. Ita me hercule, ac non minori sollicitudine, gliscentibus eiusmodi contagiosis morbis agere debet Magistratus, ut conuocatis medicis, summa diligētia circunspiciatur, quemadmodum post inuocationem Dei, illique nobis & rebus nostris fideliter commēdatis, quoad licet humana industria viribûsque venienti morbo occurramus, neq; illud, serò medicina paratur, cùm mala per longas conualuēre moras, expectemus: neque ic̄ti primùm sapiamus: quod non solùm extremæ vecordiæ & dementiæ fuerit, sed etiam contra fidelis & prudentis Magistratus officium, quod describendum suscepimus. Ad quam rem etsi maior prudentia rerûmque experientia requirantur, quàm ego in me agnoscam: tamen quoniam à nemine antehac (quod equidem sciam) hoc argumētum vniuersim tractatum, literisq; vulgatum est, si nihil aliud, saltem hoc efficiam, ut vel eruditiores excitem, ut quod in me desiderabunt, maiori ingenio compleāt: vel quibus

hæc

*Eccles. 18.  
Ruffin. in  
præf. hist.  
Eccl.*

hæc cura exequenda demandabitur, quod ver-  
bis meis deerit, re ipsa illi perficiet. Mihi satis est,  
si non egregiam operam, saltem præclaram vo-  
luntatem iuuandis hominibus probauisse. Ne-  
que enim talis hæc causa est, quæ eleganti oratio-  
ne contenta sit, sed quæ prudenter & bene deli-  
berata maturè in actum deducatur: quòdque  
Plato de omni virtute dixit, inchoari eam ab in-  
telligentia, qua quid agendum sit, disquiritur:  
terminari verò fortitudine, qua perficitur, id  
certè in hoc negotio vel in primis opus est.

Vnde igitur tandem exordium nobis ducen-  
dum? nimirum ab illis ipsis, quorum arbitrio  
pene cuncta, quæ deinceps statuenda sunt, ge-  
rentur & administrabuntur: hi autem conser-  
uatores sanitatis vt nomine, ita & re erunt: non  
plurimi quidem numero (paucis enim præesse  
natura dedit, pluribus obtèperare) verùm dūn-  
taxat tres, ex toto ordine, partim Senatus, par-  
tim ciuium, prout maximè idonei ad eam rem  
videbuntur selecti, moribus integri, Deum ti-  
mentes, rerum experientia cum mediocri lite-  
rarum cognitione (si fieri potest) præditi, ciui-  
bus chari, publicæ salutis studiosi, fideles, gra-  
ues, nihil priuato cōmodo, gloriæ, amori, odio,  
inuidentiæ, vllivē perturbationi tribuentes. Si  
quid inciderit, cui pares esse non videbuntur, id  
ad totum referent Senatū, atque inde velut à  
communi fonte, quod factū opus est, postula-  
bunt. Cogitabunt autem, & sibi certissimò per-

*Conserua-  
tores santi-  
tatis.*

suadebunt, rationem tanti mali amouendi magna ex parte, post Dei opem, in ipsorum industria ac fide positum esse. Quemadmodum enim ad medicos pertinet, prouidere ne corpora singulorum incidant in pestem ex aeris constitutione, ita conseruatorum erit, prohibere vel tollere contagium publicum & externum. Porro si cui nouum videatur quod dico, sciat, nos hinc nouam quidem, sed tamen prorsus vtilem, necessariamque politiaem partem moliri. Nec enim sequitur, si noua sit res quæpiam, ob id noxiam quoque esse: omnia siquidem quæ modò sunt vetera, noua aliquando fuerunt: & quæ nunc noua cum consilio tamen & ratione suscipiuntur, instituunturque, diuturnitatem etiam feliciter accipere, & vetera fieri possunt. Cùmque in aliis omnibus Reipub. partibus prudenter aliquot præfecti sunt, qui earum curam gerant, ut ædiles structuris, Tribuni militiae, Scholarchæ ludo literario, seplasiarum inspectores pharmacis: præterea quando in omnibus rebus semper præstet ordo ataxiæ, sitque Deus ipse ordinis autor & propugnator, spero cordatos homines facile concessuros, ut hanc nouitatem Respublicæ admittant. Etsi enim durior ab initio videbitur infuetis, tamen vsu mollescet & gratior reddetur. Nam ut verissimè dixit Balthasar Castilionensis, scriptor Italus: Vfus plus quàm ratio valet in introducendis nouis, & veteribus abolendis. Quid autem per nouum hunc Magistratum curari

*De aulico  
lib. I.*